

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Hollandia comitatus

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Hollandiæ Comitatus.

322

*Regis.
Unde dicitur.*

HOLLANDIÆ nomen a Silvarum Saltuumque frequentia quidam deducunt, lignum enim & Silvam promiscue *Holt* & *Hout* vocamus, ut *Hollan* sonet regionem silvestrem: omnia enim arbutis olim inhoruisse refertaque prædicant, toto quaqua patet Hollandiæ tractu. Alii a cavitate dictam putant, quasi *Hol-landt*. Est enim universa regio palustris ac pedum pulsu vacillans. Alii a fœno *Hollandiam* quasi *Hoylandiam* nominatam arbitrantur. At eruditissimus Junius aliam sententiam indicat, Hollandiam Gothicæ Danicæve gentis coloniam esse, ut & Zelandiam, Danosque & Normannos desertis in Codano sinu Insulis Olandiæ Zelandiæque in hac loca migrasse, & a sua patria Hollandiam Zelandiamque cognominasse, plane, ut de Heleno Priamide refert Maro, qui in Epiro Opidulum Troiam cum arce Pergamo exstruxit, addita & imagine Scææ portæ & rivulo Xanthi Troiani amnis nomine: & ut in Indiis novam Hispaniam, novam Franciam Europæi effecerunt. Eam a plaga mundi Occidua Britannicum mare, a Septentrione Cimbricum ambit & littora pulsat, ab Ortu Solis fretum amplum Frisiam procul aperit, ad Euronotum Trans-Isalana & Velavia, ad Aultrum Trajectina ditio obtenduntur. Ambitus ejus ad 1 x miliaria extenditur, Latitudo perexigua est, quandoquidem è meditullio ejus creditur viatori patere aditus ad extremos ipsius fines in latum trium horarum spatio: vel etiam hinc ad Oceanum, illinc ad maris finem, est, ubi Latitudo non æquat milliare. Habet regio ista agros frugiferos, ac luxurioso & opimo Frumento supra modum scatentes, sed qui tantillo in spatio & in regione, qua vix populosiores invenias ad suppeditandam tantæ multitudini alimoniam sint impares. Sed palcuorum ubertas summa est: qua Boum alit armenta infinita: Vacas quoque corporum vastitate, lactis copia, eximias. Constat sane, aliquibus Hollandiæ partibus Boves æstivis diebus, quatuor & quadraginta lactis heminas in multralia singulas refundere. Ioannes etiam Benningus Consiliarius Curiæ Hollandicæ referente Guicciardino, certa observatione & minime fallente calculo ostendit, tantum Assendelphi, & quatuor vicinis pagis Lactis uno anno è vaccis colligi, quantum è Germania superiore Rhenensis Vini devehatur Durdrechtum. Ex hac lactis optimi copia, Butyrum conficiunt, non barbararum modo gentium, ut Plinius vult, sed Regum etiam & Principum cibum laudatissimū. Conficiunt etiam Caseos Parmensibus aut Placentinis nihilo inferiores. Primæ tribuuntur Tessalico & Gravesandico; Secundæ Edamensi, quem imprimis vetustas commendat. Equos etiam generosos profert. In collibus arenariis Cuniculorū innumeram multitudinem habet. Cervorum etiam, Damarum & Leporum frequentiam, inque Hagiensium nemore Capreolorum greges, Avium quoque capturā quaestuosam, imprimis Anatum, Anserum, & autumnalibus mensibus Scolopacum, quas Plinius rusticulas, Martialis rusticas perdices, nostri *Sneppu* vocant. Habet & cespitem fossitiū qui ex intimis haulus terræ penentralibus, ipsisque adeo ex aquis eductus, ventoque & sole exsiccatus, ad focos adhibetur. Hollandia olim suos reges habuit, quorum meminit Suetonius in Caligula cap. 44. Verum

Situs.

Soli fertilis.

Animalium varietas.

Imperium majorum.



*Imperium majo-
rium.*

Majora virtus.

Urbes.

Verum anno Christi 1000CLXIII a Carolo Calvo Francorum Rege in Comitatum redacta est, etque praefectus est *Theodorus* à Regio stemmate ortus. Patri *Theodoro* successit *Theodorus* filius, huic *Arnoldus*, Arnoldo *Theodoricus*, atque huic alii ex ordine, quorum seriem apud Munsterum & alios habes. Bellica olim gloria clari admodum fuerunt. Hoc enim praesidio cum fide conjuncto in fraternitatem Imperii Romani accepti sunt Batavi. Hac Duce benevolentiam sibi apud Principes contabilerunt, & stabilem sui fiduciam plenique illorum Tyrannis impresserunt. Per hanc vulgo formidabiles, invictae virtutis opinionem acquisiverunt. Per hanc denique vera laudis imagine conspicui esse ambierunt. Urbium nunc nobis est proponenda descriptio: sunt autem *Durdrechtum*, *Harlemum*, *Delphi*, *Lugdunum*, *Amstelodamum*, *Gouda*, *Nacredunum*, *Mada*, *Wesopum*, *Edamum*, *Monachodamum*, *Purmerenda*, *Almeria*, *Enckhuysa*, *Horna* &c. *Durdrechtum* Urbis totius Hollandiae primaria est. Facies ejus oblonga exit ad modum t'renenis: ipsa opulenta & copiosa, imo eorum omnium quae in annonae rei que alimentariae usum venire atque expediri possunt, locuples quoddam penu est. Ius habet sistendi & retrahendi ad se Merces exoticas, quaecumque secundo amne importantur, ut nimirum eo loco stabulerentur, ac conquiescant, donec venditae sint: & inde rursus non aliis quam popularibus navigiis alio devehantur. Hoc privilegium a *Stabulo* vocant *Stapulan*. *Harlemum* amplitudine urbis, aedificiorum cultu, situs amenitate nobile est. Templum habet totius Hollandiae pulcherrimum firmissimum innixum columnis, foro imminens. Urbem *Sparnus* interlabitur. Exstructa creditur a Frisii, circiter annum 1071. Huic urbi inventae typographicae artis gloria debetur. Est & altera hujus urbis gloria, capti novo consilio *Pelusi*, quam *Damiatam* vocant, cujus rei symbolum habet nolas binas ex aere Corinthio quae a re *Damiate* appellantur. *Delphi* sequuntur non Apollinis tripode, sed Cereris & Bromii munere insignes. Coquitur enim in hac urbe Cerevisia post Britannicam optima. Nomen habet a fossa, quam Batavi *Delf* vocant, ducta a *Mosa* ad urbem usque. Anno 1071 1077 11, v Non. Maii, ignis nato ex favillis forte incendio, luctuosam ac funestam urbis faciem reddidit, absumta deformataque pleraque urbis parte: ex quo incendio postea pulchrior emicuit. *Leida*, Ptol. *Lugdunum Batavorum*, urbs est sita ad medium Rheni ostium Plin. & Ptol. nominatum. Sustinuit anno 1071 1077 11 gravem obsidionem, sed pulsus hostibus divina ope & aquarum stagnantium vi liberata est. *Amstelodamum* nobilissimum hodie totius Orbis Emporium ab Amne *Amstela* nomen habet, paucis initio piscatorum tuguriis habitatum, jurisdictionis fuit Dominorum Amsteliorum. Hanc urbem postea Giselbertus Amstelius ante annos ducentos octoginta plus minus, communiri propugnaculis, portis ac turribus fecit: quibus per invidiam vicinorum conflagratis, muro cingi coepit anno 1071 1077 11. Ex eo perpetuo aucta & Hollandici juris fuit. Nunc vero non Hollandiae solum, sed omnium vicinarum regionum ad Sarmatas usque Gothos & Cimbrosest apotheca. In hac urbe stabulantur non solum Itali, Hispani, Lusitani, Britanni, Scoti, Galli, Sarmatae, Cimbrici, Sueci, Norwagi, Livones, Germani: sed etiam Indi Americani, Orientales, Mauri, aliique ex omnibus pene Orbis plagis. *Gouda* a Cimbrica voce *Gow* nomen habet, quae & fossam & aggerem fossae oppositum denotat: Sita ad Isclam, urbs copiosa & rebus omnibus affluens, ac multa Opida. Sunt & Municipia quaedam

quædam, inter quæ primaria est *Haga* Comitum, in quo & Sanctiori Principis Ordinumque Consilio locus est, & forum litibus solvendis dicatum. Quod ad Statum hujus Comitatus Politicum, eum tres Ordines constituunt, quorum Primus sunt Equites aurati (*Ridderhoren* vocant) eorum præcipui sunt Comites *Egmond*; *Ligne* cujus sunt Dominia, *Wassenaar*, *Valckenborch* & Vicecomitatus *Leidensis* Civitatis. Invenio & hos Comitatus in *Hollandia*, *Maeland*, *Texel*, *Goyland*, *Kennemerland*, *Steenberge*. Domini & Barones, *Brederode* cujus est & Dominium *Vlaen*; Baronatus de *Lijsselt*. Invenio & inter Baronatus in Chronico *Hollandiæ* numerari hæc dominia, *Leck*, *Sevenbergen*, *Voorn*, *Isselstein*, *Stryen*, *Teylingen*, *Puttem*, *Harlem*, *Leerdam*, *Afperen*, *Arckel*, *Altena*, *Botterfloet*. Secundus ordo est Dominorum, quorum qui nomine Statuum in *Haga* Comitum comparere solent, sunt hi præcipue, *Poelgeest*, *Polanen*, *Lockhorst*, *Affendelft*, *Wurmont*, *Sparwoude*, *Matenes*, *Schooten*, *Noortwyck*, *Verdoes*, forte, *Does*, *Myne van Amstel*, *Spangen*, *Alckemade*, *Benthuysen*, *Kenenborch*, *Raaphorst*, *Sweten*, *Heemskercke*, *Ruven*, *Duyn* & *Sprangen*. Sunt præterea & hæc in *Hollandia* Dominia *Hoefden*, *Oudthoefden*, *Papendrecht*, *Wingarden*, *Ghissenborch*, *Ameyde*, *Woerden*, *Waterland*, *Schagen*, *Turmerende*, *Goude*, *Naaldwyck*, *Rijswyck*, *Schoonhoven*, *Wateringen*, *Soetermeer*, *Heemstede*, *Heichtwoude*, *Merven*, *Haestrecht*, *Dalen*, *Spijk*, *Hardichsvelt*, *Bardwyck*, *Wyck*. Tertius Ordo sunt vi magna Civitates, quæ nomine omnium *Hagam* convocantur, quæ sunt *Durdrechtum*; hæc habet Prætores & Magistratum, cui Civis parent, & Baillivum cui exterius territorium, tam in Civilibus, quam in Criminalibus. *Harlemum*, Prætores & Magistratum domi habet: Ruri Baillivum, qui in Civilibus & Criminalibus præfunt. *Delphi*, Prætores & Magistratum pro Civibus, Baillivum pro Rusticis habent, in Civilibus & Criminalibus Jurisdictionem habentes. *Luodunum*, hic Prætor & Magistratus intus, foris Baillivus præfunt, qui in Civilibus & Criminalibus Jurisdictionem habent. *Amstelodamum*, intus Prætores & Magistratum, ruri Baillivum habet qui Civilia & Criminalia judicant. *Gouda*, Prætores & Magistratum habet pro Civibus & Incolis, Baillivum quoque & Arcis Præfectum.

Nunc de Episcopatu *Ultrajectino* pauca subjiciamus. Trajectum quondam *Antonia*, nunc *Utrecht* dicitur. Id *Iunius* ex eo factum putat, quod ibi quintæ tricesimæ legionis stativa essent. Itaque quum imperitum vulgus legeret V. TRIC. LEG. STAT. fecit ex eo V T R I C. quod postea abiit in *Utrecht*. Templum in hac urbe per multa sunt, primaria vero quinque. Inter Opida vero quæ *Ultrajectinæ* Provinciæ subdita sunt, primum occurrit *Batavodurum* ad *Rheni* litem *Leccam*, cujus mentionem *Tacitus* facit lib. v. *Histor.* postea vero nomen habuit *Durostati*, Incolis *Wyck* & *Durstede*; Vrbs fuit potens & opibus florens: sed a *Normannis* sæde excisa dirutaque. Trajectensis ditio per se Statum habet I I I Membris constantem. Primum Membrum Clerus primarius v Collegiorum Urbis: Secundum Nobilitas: Tertium v Civitates capitales, *Trajectum*, *Amerfordia*, *Batavodurum*, *Rhenes*, & *Monfortium*. Ex omnibus vero Dicoecibus juridicis prima instantia provocatur ad Consilium Provinciale in *Haga* Comitum, ubi summa est *Hollandiæ* Jurisdictio & Comitum Consilium. Inde ad Magnum Consilium *Mechlinicæ* solebat fieri appellatio.

Episcopatus Ultrajectinus.
Urbs & Opida.